

Franz Albert Aepinus Johann Heinrich Becker

**Collegii Theologici In Universitate Varniaca p. t. Decanus Frankc. Albertus
Æpinus ... Ad Inauguralem Disputationem ... Joh. Henrici Beckers ... De
Angelorum Lapsorum, Ex Inferno, Per Christum Non Speranda Restitutione, è
dicto ad Hebr. II. 16. Pro Obtinendis Doctorum Theologiæ Dignitatibus... Pro-
Rectorem, utriusque Magistratus Proceres ... invitatos vult**

Rostochii: Adler, 1736

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn743871316>

Druck Freier  Zugang



Aepinus, F. A.,

in J. H. Becker.

R. 1736.

89

COLLEGII THEOLOGICI
IN UNIVERSITATE VARNIACAE
p. t. DECANUS,
FRANC. ALBERTUS AEPINUS.
S. S. Theol. D. Prof. Ducal. Publ. & Consil. Consist. hodieque
ACADEMIÆ RECTOR,

AD
INAUGURALEM DISPUTATIONEM,
VIRI PLURIMUM REVERENDI, AMPLISS. EXCELLENTISS.
DN. JOH. HENRICI
BECRENS,

Phil. D. & Moralium Prof. Publ. Ord. Celeberrimi, ad ædem
D. Nicolai Verbi Divini Ministri optimè promeriti,

DE
ANGELORUM LAPSORUM, EX
INFERNO, PER CHRISTUM NON SPE-
RANDA RESTITUTIONE,

è dicto ad Hebr. II. 16.

PRO OBTINENDIS DOCTORUM THEOLOGIÆ DIGNITA-
TIBUS AC PRIVILEGIIS,
SUPREMO NUMINE CLEMENTISSIME BENEDICENTE,
D. XVI. curr. mensis Octobris,
IN AUDITORIO MAXIMO HORIS ANTE ET POMERIDIANIS,
EXAMINI PUBLICO SUBMITTENDAM,

PUBLICO HOC PROGRAMMATE,
Magnificum ad h. a. Dn. Pro - Reñorem, utriusque Magistra-
tus Proceres, FCratum omnium Doctores fulgidissimos, Vener. urbis Presby-
terium, Philos. Magistros Pra - Clarissimos, universamque Florentissi-
mam Studiosorum Cohortem, & omnes sacrorum

Studiorum Fautores,

REV. FACULTATIS SUÆ SUOQVE NOMINE
Perquam officiose humanissimèque invitatos vult.

ROSTOCHII, typis IOH. IAC. ADLERİ, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.



AETERNI EVANGELII nomen, quo Johannes Evangelista *Apoc. XIV. 6.* utitur, non heri demum aut nudius tertius, ad errores tegendos animisque hominum novitatis avidorum facilius persuadendos, à Fanaticis ingenii in abusum trahi cœpisse, sed dum jam eum in finem à perversitate quorundam corruptum ac frequentatum esse, neminem, arbitror, ni fortè rerum in Ecclesiâ DEI gestarum penitus ignarum, latere poterit. Non autem animo sedet, nec scriptio huic destinatæ chartæ spatium permisurum est, qui vel recensum ejus rei, vel de ea commentationem instituamus prolixiores, siquidem variis modis illud detortum ac deturpatum deprehendimus. Neque tamen penitus silentio prætermittemus, qui, præludentibus antè jam nonnullis aliis, Seculo XIII. surrexerunt AETERNI sic dicti, quod tamen non ex Scripturæ S. fontibus, sed fatidici illius notissimi, JOACHIMI, Monachi Cisterciensis seu Benedictini Ordinis, deindeque cœnobii Florensii fundatoris ac primi Abbatis, (unde cognomentum illi, quo *Joacimus Abbas* velut καὶ Ἰωάκην salutatur, adhæsit) lacunis hauserant, EVANGELII præcones, Ordinis Minorum seu Prædicatorum præsertim Monachi. Haud tamen in præsenti multa de iis referre nobis permititur, sed indicasse sufficiat, oportet, editum ab iis esse libellum inviso NOVI ET AETERNI EVANGELII titulo insignitum, in quo somnia sua, & execranda partern dogmata, quorum fere præcipua, quod *Christus & Apostoli, non fuerint perfecti in vita contemplativa*, hinc *Evangeliū*

gelium Christi neminem perducat ad perfectum, quin, adveniente Evan-
gelio Spiritus S. evanandum sit Evangelium Christi, quodque, sicut,
veniente Johanne Baptista, ea, quæ præterire, reputata sunt vetera,
propter nova supervenientia: ita adveniente tempore Spiritus S. si-
ve tertio statu mundi, ea, quæ præcesserunt, reputanda sunt ut ve-
tera, propter nova, quæ supervenient. Seu, quod eodem reddit:
Post legem Christi adhuc legem Spiritus S. futuram esse, in quam
transferenda esset lex Christi, sicut in illam transiit lex Mosis, tan-
quam figura in figuratum, Et umbra in lucem; quæ novitatis avido-
rum hominum animis vulgique cumprimis simplicitati persuadere
connisi fuerunt. Non vacat pluribus de eo nunc distinserere, descri-
psit autem magno studio Historiam integrum Disp. sub Præsidio D.
JOH. ANDR. SCHMIDII Anno MDCC. Helmestadii hab. de *Pseudo-*
Evangelio Aeterno præcipue Seculi XIII. Et sequentium, in qua plura
istorum Prædicatorum erronea placita relata, & Scriptorum testi-
monia copiose allegata reperiuntur. Nos hoc unicum duntaxat,
pro scopo nostro, notamus, non tamen ulterius, quam ad seculi hu-
jus consummationem, valitum, æternum hoc Evangelium dici, cu-
jus terminos ita signarunt ejus Autores: *Primo seculo Patris, homi-*
nes vixisse secundum carnem; Secundo Filii, inter spiritum Et carnem;
tertio Spiritus Sancti, victuros esse secundum spiritum, ab Anno 1260.
usque ad finem mundi. Ut intelligatur, ab eo diversum esse, quod,
hodierni prædicant Neo-Evangelistæ, qui suum in secula seculorum-
vel, ut loqui amant, in æonas æonum, in die Ewigkeiten der Ewig-
keiten, extendunt. Attamen illorum cum aliis sequentium Seculo-
rum pluribus institui comparatio posset, nisi nomen potius, quam do-
ctrinam ipsam hac vice respiceremus. In hac enim aliisque con-
junctis hypothesibus non pauci, præsertim fanaticis opinionibus in-
dulgentes, ac Chiliafticæ sententiae patroni, cum illis ita consonant,
ut nil nisi nomen doctrinis deesse videatur, dum & eorum multi se-
culum Spiritus S. adhuc futurum ac imminens aperte promittunt,
quorsum non crassiores Fanatici solum, verum etiam, qui spem me-
liorum in Ecclesia temporum fovent, ac aliis persuadere cupiunt,
respicere, dudum jam ab aliis sunt judicati. Sed mittimus ea, qui-
bus præsertim animus est, de alio quodam, cuius equidem nomen
in nonnullis Catalogis Fanaticorum comparet, ceteroquin ramen, in
comparacione, famâ minùs, ac aliorum nonnullorum, innotuisse, vel

saltem

faltem minus frequenter allegatum inveniri, constat. Est ille, cui heroicum fuit cognomen, ADOLPHUS HELT, qui, nomini forte suo convenienter, heroico quasi spiritu rem aggressus, in Ecclesia Stadensi, cuius tum ad eadem Nicolaitanam Pastoratu fungebatur, tertio Seculi superioris decennio currente, haud leves excitavit turbas, quae propter eo nondum integrè completo, officio mortuus, & ex urbe tandem discedere jussus fuit, postea temporis, ut ipse narravit, non Germaniam solum, sed extera quoque Regna pervagatus, sine multo tamen, prouti conquestus est, naniarum suarum applausu. Protrusit is in lucem Anno MDCXLIX. **Die Offenbahrungss. JOHANNIS und EZECHIELIS, der beyden Zeugen Jesu Christi, von seinem andern Reiche im neuen Bundes,** Apoc. II. v. 3. In quo Scripto & ipse novum, quod itidem **ÆTERNUM EVANGELIUM** vocat, non tam prædicare, quam prænunciare voluit, alter veluti Præcursor, ut olim Johannes Baptista, viam scilicet alis, idipsum paulò post annunciaturis, paraturus. Constat alioquin de septem Ecclesiis Asiae, quarum **Apoc. Cap. II. & III.** mentio sit, sicut & de Angelis, i. e. Episcopis, earum, atque directis ad eosdem Epistolis Apocalypticis, dissensum inter Commentatores liosque Doctores versari, num de præsenti tantum earum statu historicè loquantur, an verò mystici quid occultent, & quidem vel solitariè, vel cum historicò sensu conjunctim? Et ignotum non est; Cocejanis præsertim, inter recentiores, mysticam atque Propheticam earum interpretationem arridere, quemadmodum & quisentiarum singularum assertores nominavit, pro eadem pugnat CAMPEG. VITRINGA: **Avanc. Apocal. Jo. Apoſt.** post Expositionem Cap. I, peculiari Diatriba, titulo *Investigationis Epistolarum Christi Jesu ad septem Ecclesias Asiae datarum.* Interim non prorsus sensum historicum, atque cum præsentem nominatarum Ecclesiarum statum unà describi, diffitentur, quanquam COCCEJUM ipsum magis intentum fuisse sensui Propheticò, quam Historico, non solum ipsius *Cogitationes de Apocal. S. Job. Thol.* doceant, sed & laudatus VITRINGA d. l. minime dissimuleret. Sed hi tamen non nisi Propheticam de futuro, tempore Johannis, adhuc Ecclesiae Christianæ Novi Testamenti statu his Epistolis contineri, cuius utpote typus & figura fuerint istae septem Ecclesiae Asiaticæ, contendunt, quam igitur in septem periodos distinguunt, ita signatas, quod *Ephesina* figuram exhibue-

exhibuerit Ecclesiæ Apostolicae, usque ad persequutionem Decianam; circa medium Seculi III.; *Smyrnensis* præfiguraverit statum in sequentis Ecclesiæ, à medio Seculi III. sub persequutionibus Decii, Gallieni & Valeriani, ad decennalem Diocletianam, initii Seculi IV.; *Pergamena*, à tempore Religionis Christianæ ab oppressione gentili vindicata per Constantinum M. usque ad inclinatum Seculum VII.; *Tbyatirenſis*, abinde, & vel maximè à temporibus Caroli M. ad inclinatum Seculum XII. sive usque ad Waldensium ortum; *Sardensis*, abhinc, ad initia Seculi XVI. & tempus Reformationis; *Philadelphia*, inde, ad languorem & temponem Ecclesiæ reformatas sensim invadentem & obrepentem, cui periodo verò certum terminum ad quem præfigere non audent; *Laudicena* tandem repræsentet, nobis adhuc exspectandum & futurum, Christi Regnum gloriosum, in quo, rametsi crastum Chiliasmum apertè non profiteantur, Ecclesiæ, præsertim Protestantium, redutâ nemp̄ pietate, & adductis ad eam pluribus hastenus incredulis, statum feliciorem magisque florentem promittunt ac pollicentur. Atque hæc omnia tam ex nominibus memoratarum Ecclesiæ, quam earum descriptionibus, ad Ecclesiæ Novi Testamenti prædictas periodos applicatis, non illustrari modò, sed & probari posse, opinantur. At aliam & ab istis multum diversam ingredi viam, nostro placuit ADOLPH. HELTIO. Consentit equidem in eo cum istis, quod illæ septem Epistole Apocalypticæ cum Historicum, tum mysticum habeant sensum; hunc autem non typicum, aut Propheticum tantum esse vult, qui tum temporis futura solùm præfiguraverit, sed, qui etiam retrospicio præterita repræsentet, ac in memoriam nobis revocare debeat. Scilicet, per septem illas Ecclesiæ Asiaticas intelligendam esse dicit Ecclesiæ DEI catholicæ seu universalem, inde ab exordio mundi, usque ad illius consummationem, in septem proinde periodos distribuendam, quas vocat die sieben grossen Welt-Gemeinen Christi. *Primam* igitur eorum, per Ecclesiam *Ephesinam* designatam, cum Adamo dicit incepisse; terminatam autem eo adhuc vivente, cum Ecclesia Sethi nanoscieretur initium. Hanc ergo *secundam* ponit, continuatam ad tempus usque Noachi, repræsentatam nobis in Ecclesia *Smyrnensi*. *Tertiam* à Noacho ad Mosen extendit, cujus faciem exhibeat Ecclesia *Pergamena*. *Quartam* fuisse dicitur, inter Mosen ac Zorobabelem intercalens, cuius effigies sit illa *Tbyatirenſis*. Hinc successerit *quinta*, in-

de ab ætate Zorobabelis, ad tempora Christi & Apostolorum, cum Iohannes Baptista prædicationem suam inchoaret, per Ecclesiam Sardensem repræsentata. *Sextam* itaque facit priorem Ecclesiæ Novi Testamenti partem, quam Apostoli, cum primis autem inter eos Petrus, inchoaverint, quæque continuata sit ad sua usque tempora, & per Ecclesiam Philadelphianam fuerit præfigurata. *Septimam* denique, cuius Ecclesia Laodicena typus fuerit, suo nunc tempore, tanquam posteriori Novi Testamenti periodo, & quidem sub Johanne Apostolo & Evangelista, quem idcirco cum Angelo Laodicensis Ecclesiæ comparat, inchoari, & in hac demum opinatur ÆTERNUM, quod passim vocat, EVANGELIUM prædicatum iri, per quod haec tenus pessimè corrupti & in pejus semper ruentes Christiani, Judæi etiam associatis, ad conversionem & pœnitentiam majoremque pietatem ducendi sint, quod ad perfectiorem statum & florem Ecclesia perducatur. Minime tamen hoc suum Æternum Evangelium planè novum, aut à veteri, quod dicit, & haec tenus, in sextuplici præterito Christi Regno, prædicato, quoad substantiam aliud & diversum statuit, sed quoad circumstantias duntaxat aliquam eorum differentiā afferit, de cetero ad *Apoc. X. 5. 6. 7. p. 163.* eodem utrumque modo describens, tantummodo quod novo huic suo, ÆTERNUM appellato, additum velit, id in presente septimo Christi Regno, & quidem non solum Christianis, à Christo qui defecrant atque rejecti, sed & veteri suo populo, semini Israëlis, annunciantum esse. Hoc autem non prius futurum, scribit, quam Christus duos testes suos miserit, qui non Enochus & Elias, secundum vulgarem opinionem, futuri sint, sed sint, sua hac ætate, *S. Johannes Evangelista, & Ezechieiel Propheta*, istius Æterni Evangelii prædicationem inchoaturi, non in propriâ suâ personâ præsentes, sed per alios, eadem cum illis virtute Spiritus S. potestate ac operationibus præditos, ad eum plane modum, quo Elias olim venturus promisus, non in suâ, sed Johannis Baptiste personâ missus ad homines fuit, *Luc. I. v. 17. Matth. XI. v. 14.* prout commentatus est ad *Apoc. XI. p. 174.* Istam autem, S. Johannem scilicet repræsentantem, personam, adeoque unum duorum istorum Christi testimoniū, semet ipsum cum Consortibus suis esse, vanè sibi perflauerat, proindeque cuncta Johannis de duobus illis testibus vaticinia mysticè ad se applicavit, vel potius violenter pertraxit, tanquam in sese, plenè perfecteque impletæ.

plata. Quem in finem Stadæ secum gestam rem omnem enarravit, integrumque mortificationis suæ, quemadmodum existimabat, historiam, post interpretationem *Cap. XI. Apoc. vers. 10. p. 186. sq.* suam, prolixius descripsit, peculiari pericopâ, hoc insignitâ titulo: *Historische Erzählung, wie diese Offenbahrung Gottes, de duobus testibus Apocalypticis, erfülltet, SS. Johannes und Ezechiel gekommen, geweissagt haben, und getötet worden sind; junctâ quoque post, secundum somnia sua, factam, vers. 11. p. 195.* expositionem, resuscitationis suæ historiâ, quam inscripsit: *Historische Erzählung, wie weit die Offenbahrung Gottes auch an diesem Orte erfüllt, und die zweien Zeugen Christi vor Gott wieder lebendig gemacht seyn.* Et abhinc tandem adventurum Angelum per medium cœli volantem cum EVANGELIO ÆTERNO posthac prædicando, *Apoc. XIV. 6.* quem itidem non unam vult esse personam, sed cui complures, tanquam tempore plenariae messis Domini, destinati sint συνεργοί, *p. 249.* quorum opera non ad unam tantum particularem Ecclesiam adstricta sit, die eine bleibende Stätte haben, quemadmodum Lutherus Wittebergæ, Zwingliusve Tiguri docuere, qui propterea hujus Evangelii præcones nullatenus dici queant, cum & ejusdem periodum & tempus non attigerunt, sed per omnem mundum sine fixâ sede, vagari debeat, haud secus ac Apoitoli olim à Christo in omnem emisi sunt mundum, ut Evangelium omni prædicarent creaturæ, *Marc. XVI. 15. p. 248.* Et hoc Evangelium non solum gratiam DEI per Christum partam annunciare, sed etiam, & primùm præsertim, manifestare debere, quibus prædicatur, eos è statu gratiæ penitus excidisse, cum sit ein Wort und gute Wortschafft Gottes, von einem Reiche, daß man an demselben Orte, da man prediget, nicht hat. Et quanquam prædicti duo testes hoc Evangelium, quasi præcursores, annunciare incepint; haud eos id plenè protulisse, dicit, sed ab insequuturis longè majori & pleniori donorum illuminatione Spiritus S. mensurâ prædicandum esse, quemadmodum nec Apostoli in primâ eorum missione perfectâ functi sint Evangelii prædicatione, sed tum demum, posteaquam in die Pentecostes super eos effusus est Spiritus Sanctus. Hæc ferè, saltem præcipua & generaliora, sunt opinionum, vel, ut rectius dicant, deliriorum Helianorum capita, (quorum plura & magè singularia nunc adducere nec libet, nec licet) è quibus manifestò satis eluescit, ea cum somniis aliorum Fanatico-

naticorum de futuro Seculo Spiritus S. atque spe meliorum temporum quam optimè consentire. Non tamen in omnibus consentit hodiernis Neo-Evangelistis, licet & ipsis Chiliasmō multūm faventibus, siquidem haud ultra mundi terminum imaginarii hujus AETERNI EVANGELII virtutem & efficaciam extendit, quin hominibus praesentis ævi tantum, id accipientibus, salutare futurum fateatur. Ex adverso autem recentius exorti EVANGELII AETERNI praecones suum hoc PSEUD - EVANGELIUM AETERNUM damnatos non homines modò, sed ipsos etiam Diabolos salvaturum garriunt. Cuius, quantum ad posteriores speciatim attinet, evidentem falsitatem Inaugurali sua Disputatione, cuius occasione hæc mihi scribenda fuerunt, solidè demonstravit Plurimum Reverendus, Ampliss. & Excellentiss. DN. M. JOHANNES HENRICUS BECKER, Philos. Moral. Prof. Publ. Ord. Celeb. ac ad ædem heic loci Nicolaitanam Verbi Divini Minister meritissimus, Fautor, Amicus & Collega noster æstumatissimus, cuius, patrio Academiarum more, curriculum vitae, Studiorumque, quā fieri licet brevitate, nobis exponendum venit. Oratum ille natus est suum in hoc ipso Roseto, quem, post DEum, Progenitoribus debuit optimorum meritorum ac famæ laudatissima. Parentem veneratus est Virum summè Rever. atque Religiosiss. DN. HENRICUM BECKER, Ecclesiæ hic Jacobæ Pastorem fideliss. & Rev. Min. Directorem Graviss. cuius insignia merita perpetuum ei peperere nomen, quod Rostochium ex animo nunquam amovebit. Matrem, quæ DEI gratia, hodienum, faxitque Numen æternum ad seros usque senectutis annos! filiali pietate colit, tam Gente, quam ingentium virtutum proprietarum laude fulgidiss. DEO quo devotiss. Matronam, CHRISTINAM MARGARETHAM SCHOMERIAM, Sororem Excellentissimæ memoriae Theologi, B. JUST. CHRISTOPH. SCHOMERI, luminis quondam Academiæ nostræ splendidissimi, Germanam. Avum paternæ stirpis agnovit Virum summe Rev. & Excellentiss. DN HERMANNUM BECKER, itidem prædicti tum cœtus Jacobai Pastorem, atque Mathes. in hac Alma Prof. Publ. Ord. de utroque hoc officio, cum perennaturæ nominis gloriâ, longe optimè promeritum. Aviam autem, virtutum ac pietatis laude accumulatè ornatam Matronam, AGNETAM HAS-SERTZ. Maternæ verò lineæ Avus Dn, Candidato contigit multorum diversis in locis meritorum Jctus Celebratiss. DN. NICOLAUS SCHOME-

SCHOMERUS, J. U. D. & urbis Brunswicensis Consiliarius ac Syndicus, postremò verò Liberæ S. R. J. Reipublicæ Lubecensis Senator ac Camerarius primus; cum Avia, virtutum laude nec minus celebrata, Præ-Nobiliss. SUSANNA SCHLAFFEN. Proavis numerat, in linea superiori quidem, Virum Præstantiss. & Integerrimum, HERMANNUM, vel ut eā ætate loquebantur, HANM BECKER, Civem urbis hujus & Mercatorem florentiss. cum ejus Conjuge, Proavia sua, Virtuosiss. GERTRUDE MAHREN; & in linea inferiori, Præ-Nobiliss. DN. JODOCUM SCHOMERUM, Prædiorum ad Cathedralem Ecclesiam Osnabrugensem spectantium Inspectorem, & Judicij Kappelensis Secretarium; cuius thori socie fuit elegantiâ virtutum ornatis. SOPHIA KUNNEBECKS, cuius adeò noster Dn. Candidatus est Pronepos agnoscendus. Quibus & jugendus per Aviam Nostram in genere materno, Proavis, Consul-tiss. DN. CHRISTOPHORUS SCHLAFFIUS, primum Senator & Secretarius Osnabrugensis, postea ob religionis persecutionem exul, & Secretarius ac Vice-Syndicus Capituli Cathedralis Hamburgensis, nec non Practicus Provincialis in Holstia Judicij, percelebris; cum Proavia, ANNA von LENGENDRE. Ex eā prosapia originem cum traxerit pl. Rev. Dn. Candidatus, quid mirum, anā cum sanguine, virtutes eriam Majorum ad ipsum veluti traductas esse, præsertim cum B. Genitor nullis vel sumtibus vel curis pepercit, ut à teneris, quod ajunt, unguiculis ita duceretur, qui publico Ecclesiæ reique Literariae bono multum aliquando prodesse valeret. Prognatum igitur Anno MDCXCHIX. & d. 14. mensis Augusti in lucem editum, posteroque die renatum, statim ac ætas permitteret, privata, plures per annos, domesticorum Præceptorum institutioni commisit, ita tamen, ut sibi ipsi directionem informationis, suis consiliis peragende, reservaret, quā in re non doctā prudentiā solum, sed & mirā facilitate, ac ut experientia docuit, felicitate non minori, usus est Vir Beatus. Nec quoque minus fatetur Dn. Cand. ex discursibus paternis, cum Commensalibus suis institutis, se profecisse, ita ut vel hodienum opportunè in memoriam sibi revocare possit, quæcum auscultaverat puer. Sic, crescentibus annis, post ea, quæ ad pie-tatem, pertinent, linguas, Latinam atque Græcam addidicit, præter-eaque Historiæ, nec non Arti dicendi vacavit, non exceptis, quæ a-

b

nimum

nium m recreare & delectare poterant, Arte Musicā, & exercitio ca-
lamo ornatè pingendi, quod vulgo die Zeichen-Kunst appellant.
Juveniles annos in Studio elegantioris styli Romani hujusque cultura
collocavit, usus in eodem ductu Consultiss. DN. LAUREMBERGII,
U. J. D. incliti, quem Romani sermonis eloquentiâ florentissimum,
ac ejus in eâdem institutionem dexterimam multâ cum laude depræ-
dicant quibus eâdem frui, contigit, omnes. Hoc ergo Duce, tantam
istius linguae promptitudinem sibi conciliaverat Noster, ut eâdem
æque facile, ac vernacula nostrâ, & loqui & scribere valeret. Nec
Gallicanam sibi negligendam esse linguam, arbitratus, hujus quoque
studio, quantum satis erat temporis ad eam sibi familiarem redden-
dam, impendit. Cum autem erga sacrarum literarum Studium a-
more singulari duceretur, paternisque vestigiis insistere gauderet,
ad illud eum proprius adducendum esse, judicatum fuit. Quapropter
B. Parens ipsum accuratae Precess. atque Clariss. DN. M. TARNO-
VII institutioni traditum voluit, qui, quâ floret eximiâ Linguarum
Orientalium noritiâ, non Ebraicam modò, sed & Chaldaicam atque
Syriacam fideliter eum docuit, ita ut Græcam non negliceret, sed
Ecclesiæ Græcæ Doctorum, quos Patres vocamus, stylo & lectioni
semper assuefacturus, istius Magistri sui ductu, aliquot Chrysostomi
Homilias, Macarium, Casp. item Suiceri Thesaurum Ecclesiasticum
diligenter legit, addito, propter, stylum Historicum, Herodianum.
Nec minus, eodem ipsum instituente Doctore, prægustum nactus
est, non modò Philosophiarum Disciplinarum, sed ipsius etiam Theo-
logiæ Positivo-Polemicae, quoad thesin quidem ex Nostratis Königii
Theol. Posit. Acroamatica; quoad antithesin, ex Hoornbeekii Sum-
ma Controversiar. Relig. acceptum. Quibus tantum abest ut ardor
& cupido proficiendi pluraque sciendi desiderium in eo sit extinctum,
ut inflammatum potius cerni potuerit, ac indies majora caperet in-
crements. Hoc enim incitatus instinctu jam tum Scherzeri Anti-
Bellarminum, & Collegium Anti-Socinianum, nec non Schomeri,
Avunculi sui, Collegium Anti-Calvinianum, & novissimarum, eâ ni-
mirum tempestate, Controversiarum, perlegit, junctis in Studio Bi-
blico Lüthausens Bibl. Fragen, & tandem etiam Waltheri Har-
monia Biblica, B. Parente, quæ sollicita illius pro filiorum profecti-
bus cura erat, calcar addente, quidque proprio motu lectum esset, fre-
quenter

quenter sciscitante. Hoc etiam suadente, una cum unico Fratre,
jam nunc etiam in Vinea Domini fidelis Collaboratore, plurimum Rev.
ac Præcellentiss. DN. M. JOH. HERMANNOBECER, Archi-
Diac. heic Mariano merentissimo, quotidie Quæstionem unam alte-
ramve ex Qwenstedii System. Theol. perlegit, quas ambo Fratres
deinceps, privato velut exercitio Disputatorio, inter se ventilare so-
liti fuerunt, nil objicientes, nil respondentes, nisi quod ex illo libro
antea legissent, ut ne fors loquendi formulas, aut distinctiones Theo-
logicas, ista quidem juvenili ætate, fabricarent ipsi. Tam igitur
egregiè Studiis Academicis præparatus, ad hæc accessurus, Anno
ætatis XIX. Domini verò MDCCXVII. d. 31. Martii, in Matriculam,
quam vocant, receptus est, Sceptra tum gubernante JCto Excellen-
tiss. DN. D. MATTHIA STEIN, Cod. tum apud nos Profes-
sore Celeberrimo, jam nunc Beato. Ab eo tempore Doctribus
Academicis indefessam semper industriam, sedulitatem ac attentio-
nem, ardoremque magis in Studiis proficiendi abundè demonstra-
vit. Sic animatum eum memini me habuisse Prelectionum mea-
rum Philosophicarum Auditorem solerissimum, sic frequentavit Col-
legium experimentalis Physicæ Curiosum Patrui sui, Viri summè Rev.
& Excellentiss. DN. PETRI BECKERI, Phil. D. & Mathem. P.
P. O. Celeberrimi, & Venerandi Senioris nostri, ad ædem Jacobæ-
am Pastoris immortaliter meriti ac Rev. Min. Directoris Gravissi-
mi, Fautoris ac Collegæ nostri multis nominibus colendi æstu-
matissimumque. Junxit his quoque Mathematicas Disciplinas, in qui-
bus, præter modò laudatum Dn. Patrum suum, Doctorem habuit
LEONH. CHRISTOPH. STURMIUM, qui Calvino-Reformato-
rum, in materia Sacramenti Cœnæ Dominicæ, placitis quidem adhæ-
rens, non exigua in Ecclesia turbas excitavit, quibus autem Dn Can-
didatus assensum nunquam præbuit; in Arte tamen sua sic excellebat,
ut in eadem eunctorum invenerit approbationem, laudem meruerit.
Ast, quoniam Theologiæ S. Studiū erat, quod primariò sibi pro-
posuerat, à Theologorum tum hic docentium ore pependit, quibus
igitur omnia sua gratissimus acceptum fert, tam inter Cœlites nunc
viventes, KRACKEVITZIUM ac WEIDENERUM, quorum in se
præclara merita, post eorum fata quoque, hæc Academia suspicit
celebratque; quam hanc, DEI gratia, vitam adhuc, id quod quam
diutis.

diutissimè Numen Clementissimum fieri velit! colentem, Excellentissum sumineque Rev. DN. D. HERM. CHRISTOPH. ENGELEN, Theologum Celebratissimum, hodieque FCtatis nostræ Seniorem Venerandum. Quorum præter Lectiones, per omnes S. Theologiae partes, meas etiam frequentare Scholas ipsi placuit, exercitiis Disputatoriis, quibus, quantum profecisset, ipsemet experiretur, minime neglectis. Idque nec publicè demonstrare intermisit, sed, ut varias eruditas Oppositiones non commemorem, Ao. MDCCXIX. sub Præsidio supra laudati Præceptoris sui, M. TARNOVII, Dissert.

Philolog. de *Inscriptionibus sacris, seu Poësi Biblica in Libris* אמְנוֹן sine multo Auditorii applausu, defendit. Contingebat autem, ex voluntate DEI, non sine magno tam Ecclesie Jacobæ, quam Familiae ac piorum omnium luctu, Anno MDCCXX. mense Februario, B. Genitoris obitus, qui quidem fidelissimâ paternâ curâ Candidatum nostrum orbaverat; qui tamen nihilominus in stadio, quod ingressus erat, progredi non destitit, quin animus alacritatem potius majorem vitus fuerit induisse. Nata inchoante d. a. autumno, exteris etiam Academias invisendi propositum cepit, itinerique, prælaudato Dn. Fratre juriore assumto, in Saxoniam superioram semet accinxit, per hybernum illud semestre in Celeb. Hallensi Academia commoratus, ut Theologorum istius loci placira propria, præcipueque Thomasianas opiniones singulares, ad majorem haustæ hæc tenus veritatis confirmationem, ex eorum ipsorum ore rescriberet ipse. Audivit hic adeò cumprimis DN. FRANCKIUM, Patrem, qui, recordatus amicitiae cum Parente ipsius, Kilonii quondam in ædibus Kortholtianis cultæ, multum benevolentie utrique Fratrum, ceu filiis Amici veteris, exhibuit, dum & ad familiare colloquium eos sæpius admisit, quo tamen illos non satis usos fuisse, erga abituentes, semet dolere, contestatus est. Præter cum auctoravit docentes, DNN. D. D. ANTONIUM, LANGIUM, & aliquoties BREITHAUPTIUM, quando per Abbatis munus eidem Lectiones habere licuit. Nec minus accessit ad Scholas JCtorum Excellentiss. DNN THOMASII, LUDWIGII, GUNDLINGII, LUDOVICI, BÖHMERI, non præterito magni nominis Philoso pho, DN. CHRIST. WOLFIO, Mapurgi hodie florente, qui t. z.

Rector

Rector Magnificus istius Academiæ Matriculæ, quam dicunt, nomen ejus inseruerat. Exacto hinc loci hyberno tempore, Jenam iter fecit, salutatorus Celeberrimos ibi degentes Viros doctos, cum primis FORTSCHIUM, BUDDÆUM, WEISSENBORNIUM, ZÜLICHIMUM, à quo, cum ejusdem Excell. Dn. Filius, quando hinc int S. Theol. Licentiatum promotus, B. Patris Commensalis fuisse, singulari se benevolentia & amicè exceptum, laudat prædicatque. Non autem diu hec substitit, sed itinere per Vinarium & Erfurtum, ubi Papisticos in publici divini cultus exercitio ritus observavit, directo, Gotham, multis nominibus celebrandam, pervenit, ubi, perlustratis Ducibus Bibliothecâ, Gazophylacio, & Pinacotheca, notitiae Viri longè Celeberr. DN. CYPRIANI semper insinuavit, cuius erga se fratremque, tanquam Rostochienses, humanitatem vix satis à se laudari posse, faretur. Abinde Jenam repetens, Wittebergam adiit, & istius Academiæ Civibus abs t. t. Rectore Magnif. Consultiss. Viro, DN. EASTINELLERO, adscriptus, per integrum semestre æstivum ibi subsistens, informatione solidâ gavisus est, post fata quoque laudati nominis Theologorum, WERNSDORFFII, CHLADENI & JANII, quibus se multum adhuc debere, non diffiteret; reliquorum autem Professorum favori tantum, eos invisoendo colloquiaque cum iis erudita miscendo, se commendatum voluit. Sed regressum tandem ad Suos meditatus, appropinquante hyeme, Lipsiam petiit, indeque per Magdeburgum, Helmstedium, Brunswigam, Zellam, Hamburgum, & Lubecam, salutatis ubique Viris doctris. & notaru dignis observatis, in patriam rediit urbem, Anno MDCCXXI. paulò post Martini festum, cum interea temporis, ac in itinere constitutum, Ampliss. FCtas Philosophica, per Decanum tum suum, D. KÖPKENIUM, laurea Magisteriali, eeu virtutis diligentiaque proemio, pro merito condecorasset. Exceputus hic iterum à Suis, collectos undique doctrinæ thesauros adangere impigre perrexit, & non sibi soli se natum, probe sciens, aliis inservire, voluptati sibi duxit. Hinc, ut habitas in omnibus fermè loci hujus Ecclesiis sermones sacros silentio præteream, Gradui, quo nunc fulgebat, satisfactus, Lectionibus cum Philosophicis, tum Ebraicis & Homileticis Studiosæ Juventuti prodesse studuit quam diligentissimè. Mox &, ut ejusdem Jura exerceceret, simulque Publico se commendareret, Præses è Cathedra

dra superiori Disputationem de *Pathologia Sacra* publicæ exposuit ven-
tilationi, cum applausu defensam. Cum igitur ipsi divinitus con-
cessæ dotes non laterent, iis permotus Ampliss. ac Prudentiss Civitatis
hujus Senatus eum Anno MDCCXXIV. ad vacantem tum Archi-Diaconatum ædis Marianæ reliquos inter Candidatos ut præsen-
taretur, dignum meritò judicabat. Sed providentia divina illius
operam alii apud nos cœtui reservaverat, siquidem anno sequente
MDCCXXV. Ecclesie Nicolaitanæ præsentatus, post habitam omni-
um cum approbatione concionem *donum patrum*, non electus solum
atque vocatus, sed & prævio Rev. Ministerii examinâ, ac impletatâ
Serenissimi Ducis Regnantis, tanquam summi Episcopi, clementissi-
mâ confirmatione, ritu Apostolico ordinatus, & ceu Verbi Divini
Minister in æde dictâ, die 28. mensis Augusti, solemniter introdu-
ctus est, agens tum vigesimum septimum ætatis annum. Admo-
tus sic officio sacro, sollicitam impedit operam omnem, ut codem
haud secus, ac fidelem Christi ministrum oportet, fungeretur, utque
tantò securius, sine molestâ rei domesticæ curâ in eo versari posset,
adjutorium sibi viræque sociam querens, nutu divino factum, ut cum
Virgine tum leætissimâ, Præ-Nobiliss magnoque virtutum decore præ-
fulgente, CATHARINA ELISABETHA, DN. ANDR. MICHEL-
SEN, Consulis heic Ampliss. Prudentissimique, Filia natu maximâ,
d. 21. Febr. Anno MDCCXXVI. lætas nuptias celebraret. Et in
hoc quoque conjugio cœlestem rerum nostrarum expertus est, ab
opinione nostrâ sæpius diversam, directionem. Prole quippe utri-
usque sexus beatum illud fuit, verum ita, ut eam ipsi Cœlum, ma-
ximam partem, ostentasse potius, quam dedisse, nostrum in talibus
rebus judicium audire si liceret, arbitrandum esset. Nam primo sta-
tim conjugii anno ad finem proprius accedente, ex Conjuge suavif-
simâ suscepit filiolam, CHRISTINAM JULIANAM, quæ autem
unius anni duntaxat ætatem expleverat, cum præmaturâ morte di-
em suum supremum obiret. Eam sequutus erat ultimo sequentis
anni mensé filiolus, cui nomen ANDREÆ HENRICI fuit imposi-
tum, at nec eo ultra unius septimanæ spatiū gaudere licuit Paren-
ti, cum ipsi rursus eriperetur. Quibus accensenda An MDCCXXXIV.
d. 10. Junii enata puella, CATHARINA DOROTHEA, quæ iti-
dem, quam vegeta visa fuerit, tamen post 4. menses ex hac vitâ mi-
gravit.

gravit. Unicus illi tanum supereft, An. MDCCXXIX. d. 13. Julii
in lucem hanc editus filius, cui nomen: ANDREAS JULIUS, qui,
quamvis nasceretur, postquam non diutiis, quam 30, hebdomades
in utero gestatus esset, quamvis etiam singulis ferè annis cum gra-
vissimis morbis conflictatus haec tenus fuerit, ut parum spei super-
efset, illum eò usque adolescere posse; tamen, præter omnium o-
pinionem, DEI gratia, solus in vivis adhuc supereft, quem, ex vo-
tis Parentum, ac omnium illis bene cupientium, Cœli benignitas fer-
vet, utque sapientia & gratia apud DEum & homines crescat, in
nominis sui gloriam atque Parentum solatium gaudiumque, faxit.
Quem autem ex jacturâ & obitu tot liberorum dulcissimorum con-
ceperat Dn. Candidatus, non solus permanit dolor, sed multiplica-
tus & graviter auctus est præmaturo & subitaneo, beato tamen, qui
An. MDCCXXX. d. 11. Octobris magno cum Civitatis ac omnium
bonorum dolore contingebat, obitu Soceri paulo ante laudati, Vi-
ri præ multis cordati, deque publica Rostochiensum re præclarè
meriti, quem non secus ac Patrem honoravit atque dilexit, eujus-
que affectum erga se paterno majorem abundè expertus fuerat. Ut
adeò in scholi crucis quoque tentatus Noster sit, quod exercitatum
tantòque meliorem exspectare Theologum queamus. Ast à priva-
tis ad publica revertamur. Quemadmodum haec tenus Dn. Candi-
dato, pro mensurâ concessorum sibi donorum, Ecclesiæ bene præ-
esse, ac officio isthoc ritè decenterque fungi, ut quammaxime cu-
ræ cordique fuerat, sicut & nunc est; ita, dirigente Numinis pro-
videntiâ, factum, ut cum Ecclesiastico conjunctim Academicum ci-
committeretur, quod pluribus inserviendi manisceretur plus occasio-
nis. Cum enim Ampliss. Senatus Rostochiensis, ut Comparronus
Academie Municipientiss. cuius in se favorem plus vice simplici fue-
rat expertus, quippe qui eum in officio jam constitutum sis ad Pa-
storis Primarii munus, primùm ad ædem D. Petri, deindeque ad ædem
D. Virginis Mariæ, electioni stiterat, Anno, ob exhibitam, ante bi-
narium Seculorum, Imperatori Augustissimo Carolo V. & Imperii
totius Statibus, Augustanam Confessionem, Ecclesiis nostris Jubilæo,
qui erat à nato Salvatore MDCCXXX. in honorem istius Jubilæi, ac
ad Actus Academicos solenniores, propterea celebrari ceptos, au-
gendos, tres Neo-Professores eligeret ac constitueret, hos inter &

nostrum

mut.

nostrum voluit esse Dn. Candidatum. Comissa est autem illi Mo-
ralium, seu Practicæ Philosophiæ Professio, quam ad Ampliss. FCta-
tem Juridicam eodem temporis spatio ascendens, Consultiss. & Ex-
cellentiss. DN. MANTZELIUS, Jctus Celeberr. Collega noster &
Fautor Honoratiss. cum Studiose juventutis emolumento, nec mi-
nor suâ ipsius laude, gerendo haec tenus ornaverat; ad quam à me
ipso, tam exoptabili, tam lato sacroque tempore quoque Sceptra
Academica tenente, die XXVII. mensis Julii, publicè solennique ri-
tu introductus, & postmodum statim in Rev. Concilium, tanquam
Assessor ejusdem, more consueto receptus fuit. Inanguralem, quam
dicunt, Orationem cum habuit, probantem, *Quod plus laudandus sit*
Zelus B. Lutheri, quam lenitas Philippi Melanchthonis; & ab eo tempo-
re hoc Academico officio, non minus quam Ecclesiastico, qua par-
est, omni curâ, diligentia, fidelitate ac dexteritate functus est, non
solum Prælectiones Professioni sua convenientes habendo, sed & Dis-
sertationem publicando, & è Cathedrâ ventilando, de diverso Gradu
Evidentia, & Obligationis Legum Naturalium. Cum autem evenis-
ser, ut Anonymo euidam, Auctori Tractatus: *Der Labadismus,*
die Quelle des Pietismi; thesis aliqua in eâdem displiceret, ac
minus accurata judicaretur, eaque propter id in dicto Tractatu pu-
blicè moneret, necessitatem sibi vidit impositam, improbatam illam
thesis magis illustandi, & orthodoxam suam mentem coram Eccle-
sia facie declarandi & explicandi, edito, Apologiæ quasi loco, Scri-
pto, inscripto: *Abgenöthigte Vertheidigung,* gegen eine von
dem Autore Anonymo, ihm, bey Gelegenheit einer in seiner Disp,
beyläufig vorkommenden Anmerkung, fälschlich angeschuldigte
Hypothesin: *Von Seeligkeit der Heyden ohne Glauben an*
Christum, zu Behauptung seiner Gott Lob unversägten Leh-
re entworffen, quod An. MDCCXXXIV. in publicum emisit. Ta-
lem igitur haec tenus se gessit Plurimum Rev. Dn. Candidatus no-
ster, qui, quo flagrat, plura majoraque tam Ecclesiæ, quam Acade-
miz præstandi ardore, in occasionem ad id adipisceretur majorem,
Anni superioris verno tempore, me tum etiam Decano, Facultatem
nostram Theologicam adiit, decenter expetens, ut ad consuera, pro
Doctorum Theologiae Gradu, Juribus ac privilegiis imperrandis,
Examina ipsum admitteremus, cui tam honesto & in Ecclesia ho-
num

num directo desiderio refragandi nihil quidquam invenimus can-
sæ, quin eidem promptè assurgentæ, Candidatorum numero luben-
tes eum adscriperimus. Stitit itaque se non multò post, die nimi-
rum XVII. mensis Junii, colloquiis solitis, ante pariter ac pomeri-
dianis, in quibus tam scientiâ Theologicâ, quam Orthodoxiâ, eum
se nobis probavit, ut Gradu, quem ambibat, omnino dignus unanimi-
ter judicatus fuerit, factâ ipsi potestate, quandocunque commodum
sibi ipsi futurum, Inauguralem quoque Disputationem habendi.
Cum igitur, NEO-EVANGELIUM illud, quod ÆTERNUM
vocant, Ἀποκατάστασις πάντων annuncians, etiam heic terrarum su-
os invenisse admiratores, incompertum non sit, non infructuosum
fore, judicavimus, si magis magisque falsitas illius ob oculos eo-
rum, qui patulas eidem aures præbere amant, poneretur. Maxi-
mè quidem, ut speratae lapsorum angelorum salutis opinio ex ani-
mis hominum eradicetur, cum ab ipsis omnis damnatio primam tra-
xerit originem, quapropter à facie DEI rejecti, Regno gratiæ peni-
tus exclusi sunt, nec Christus, Filius DEI, Redemptor iis datus est, si-
ne quo tamen ad Patrem nemo venire potest, Job. XIV. 6. & ex-
tra quem salus sperari nequit, Act. IV. 12. Quemadmodum enim
is Deus & homo est in unâ personâ, sic & Mediator inter Deum &
homines, I. Tim. II. 5. Quod si verò lapsorum ac damnatorum
angelorum quoque Mediator daretur, eum Deum & Angelum o-
porteret esse, cum alioquin nulla mediationis virtus ei competere
posset. Ecquomodo enim alias eorum conciperemus cum DEO
Mediatorem? Quandoquidem ergo dictum illud Ebr. II. 16. satis
diserte negat, Filium DEI naturam angelicam assumisse, ex adver-
so, humanam ab eo tantum assumtam affirmat, quâ poterit ille damna-
torum angelorum Redemptor dici? Quapropter hocce dictum plu-
rimù Rev. Dn. Candidato, ex præscripto Rev. Facultatis, ceu con-
suetudo apud nos fert, materiam Inauguralis suæ Disputationis sup-
peditare debuit, ut abs Apocatastatistarum φλυαρίας id ipsum vin-
dicaret, clarèque vanitatem ostenderet ÆTERNI illius EVANGE-
LII, quod etiam Diabolis, posteaquam tales esse desierint, & pri-
mævam suam recuperaverint angelicam indolem, salutem quasi
postliminio consequendam annunciat primitive. Id quod er-
iam tam solidè, quam copiose præstítuit in præsenti Dissertatione

c


de

de Angelerum lapsorum, ex inferno, per Christum non speranda re-
stitutione, è dicto ad Hebr. II. 16. quam, nunc in eo est, ut, annu-
ent clementissimè. Numine Supremo, ventilationi publicæ, in
Acroaterio Academæ majori, die currentis mensis Octobris XVI.
horis ante ac pomeridianis solitis, exponat. Ad quam ergo be-
nevolè audiendam MAGNIEICUM ad actum hunc DN. PRO-
RECTORUM, utrumque MAGISTRATUM AMPLISSIMUM,
Facultatum omnium Excellentissimos Dnn. Professores, atque Do-
ctores fulgidissimos, Verbi Divini Ministros meritissimos, Præcel-
lentes atque Clarissimos Artium & Philosophiae Magistros, floren-
tissimam Generosorum ac Nobilissimorum Studiosorum Cohortem,
& cunctos denique Literatos, Literarumque Fautores ac amicos,
omni, quo par est, officio studioque, suo suæque Rev.
Facultatis nomine, Decanus
invitat.

P. P. IN ACADEMIA VARNIACA,
SUB SIGILLO FACULTATIS THEOLOGICÆ,
D. VII. OCTOBRI ANNI MDCCXXXVI.



gravit. Unicus illi tanum superest, An. MDCC
 in lucem hanc editus filius, cui nomen: ANDRE
 quamvis nasceretur, postquam non diutius, quan
 in utero gestatus esset, quamvis etiam singulis fe
 vissimis morbis conflictatus haec tenus fuerit, ut
 esset, illum eō usque adolescere posse; tamen, p
 pinionem, DEI gratia, solus in vivis adhuc super
 tis Parentum, ac omnium illis bene cupientium, C
 vet, utque sapientiā & gratiā apud DEum & ho
 nominis sui gloriam atque Parentum solatium g
 Quem autem ex jacturā & obitu tot liberorum d
 ceperat Dn. Candidatus, non solus permanit dol
 tus & graviter auctus est prae mature & subitaneo
 An. MDCCXXX. d. 11. Octobris magno cum C
 bonorum dolore contingebat, obitu Soceri paul
 ri præ multis cordati, deque publica Rostochie
 meriti, quem non secus ac Patrem honoravit at
 que affectum erga se paterno majorem abundè e
 adeò in scholi crucis quoque tentatus Noster fit
 tantoque meliorem exspectare Theologum quean
 tis ad publica revertamur. Quemadmodum ha
 dato, pro mensurā concessorum sibi donorum, l
 esse, ac officio isthac ritè decenterque fungi, ut
 ræ cordique fuerat, sicut & nunc est; ita, dirige
 videntiā, factum, ut cum Ecclesiastico conjuncti
 committeretur, quod pluribus inserviendi manisce
 nis. Cum enim Ampliss. Senatus Rostochiensis
 Academiæ Munificentiss. cuius in se favorem plu
 rat expertus, quippe qui eum in officio jam con
 storis Primarii munus, primū ad ædem D. Petri, d
 D. Virginis Mariæ, electioni stiterat, Anno, ob
 earium Seculorum, Imperatori Augustissimo Ca
 totius Statibus, Augustanam Confessionem, Eccle
 qui erat à nato Salvatore MDCCXXX. in honore
 ad Actus Academicos solemiores, propterea cel
 gendos, tres Neo- Professores eligeret ac constit



Julii
 qui,
 ades
 gra-
 per-
 n. o-
 vo-
 fer-
 , in
 axit!
 con-
 lica-
 qui
 ium
 Vi-
 elare
 ius-
 Ut
 itum
 riva-
 indi-
 præ-
 cu-
 pro-
 nt ei
 alio-
 bonus
 fue-
 Pa-
 dem
 e bi-
 perii
 lœ,
 i, ac
 au-
 er &
 rum